



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 111. Papæ ac Venetorum classes re infecta recedentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI
A. C. 1510.

unde hunc portum prætervehi compul-
sus, versus Genuam vela protendit, ubi
Fregosiorum factionem abs moræ dispen-
dio arma sumpturam sperabat Pontifex:
Aft inexpectatum erat omnibus ocium;
quippe concepta de civibus fide, cuncti
in ædibus suis sese continere jubeban-
tur, atque ad exploranda eorum moli-
mina in omnibus plateis velut in totidem
speculis vigiles excubabant milites, qui
in cives, si turbam in unum locum con-
gregare conspicerentur, protinus irruere
parati erant.

§. CXI.

*Papæ ac Venetorum classes re infecta
recedentes.*

Ceterum portus fauces, ac maris oræ
tam sedulo ab equitibus, peditibus-
que obsidebantur, ut hostium classis nec
unicum quidem militem, quin illico cir-
cumdatus caperetur, in terram exponen-
di libertatem haberet; quocirca Vene-
ti, postquam longiores naves suas, ac
quam plurima alia navigia integro triduo
in hostium conspectum duxissent, re in-
fecta ex Genuensi portu in Civitatem
veterem iter suum remetiri compelleban-
tur, amissis quinque triremibus, quæ
tempestatis vi ad Messinæ fretum allisæ
perierunt, aliæ ad Barbarorum oras pro-
jectæ,

jectæ, nonnisi admodum laceratæ re-
 versæ sunt. Nihilominus summus Pon-
 tificex, ipso malorum concursu animi sui
 indignationem in Gallos inflammante,
 Cardinalem Auxitanum, qui Romæ Re-
 gis negotia procurabat, in arcem S. An-
 geli custodiæ dari jussit; magis tamen
 Julii odium in Ludovicum, ac Ferrarien-
 sem augebat Regis in Ducem favor; ni-
 hil tamen optabilius habebat Ludovicus,
 quam ut in Pontificis gratiam rediret: id
 quoque summis precibus efflagitabat An-
 na de Britannia ejus conjux Regina, quæ
 sibi probe persuasum habebat, genuinum
 Ecclesiæ Filium haud esse posse, qui sum-
 mum Pontificem odio insectaretur, qua-
 propter Rex cum Papa de concordia
 conditionibus æquis tamen ac honorifi-
 cis agere satagebat. Veneti quoque Ju-
 lium urgebant, ut Italiæ pacem redderet,
 Gallisque ac Germanis reconciliaretur;
 Papa tamen horum precibus, ac æquis
 eorum postulatis minime deserebat, a-
 liorum consilia suis adversa sequi haud
 solitus.

Secul. XVI.
A.C. 1510.

*Raynald. ad
 hunc an. n. 18.*

§. CXII.

*Regni Neapolitani investitura a Papa
 Ferdinando concessa.*

Equidem Rex Catholicus nil ardentius
 desiderabat, quam Neapolis Regnum

*Marian. lib.
 24. n. 102.*

K 5

Arra-